

## T. LVCRETI CARI

at retinere diu pluviae longumque morari  
consuerunt, ubi multa cidentur semina aquarum  
atque aliis aliae nubes nimisque rigantes  
insuper atque omni vulgo de parte feruntur,  
terraque cum fumans umorem tota redhalat.  
hic ubi sol radiis tempestatem inter opacam  
adversa fulsit nimborum aspergine contra,  
tum color in nigris exsistit nubibus arcis.

520

Cetera quae sursum crescent sursumque creantur,  
et quae concrescent in nubibus, omnia, prorsum  
omnia, nix venti grando gelidaeque pruinae  
et vis magna geli, magnum duramen aquarum,  
et mora quae fluvios passim refrenat aeventis,  
perfacilest tamen haec reperire animoque videre  
omnia quo pacto fiant quareve creentur,  
cum bene cognoris elementis reddita quae sint.

525

Nunc age quae ratio terrai motibus exstet  
percipe. et in primis terram fac ut esse rearis  
subter item ut supera ventosis undique plenam  
speluncis multosque lacus multasque lacunas  
in gremio gerere et rupis deruptaque saxa;  
multaque sub tergo terrai flumina tecta  
volvere vi fluctus summersaque saxa putandumst.  
undique enim similem esse sui res postulat ipsa.  
his igitur rebus subiunctis suppositisque  
terra superne tremit magnis concussa ruinis,  
subter ubi ingentis speluncas subruit aetas;  
quippe cadunt toti montes magnoque repente  
concussu late disserpunt inde tremores.  
et merito, quoniam plaustri concussa tremescunt

535

540

545